ORATIO ROBERTI TITIJ BURGENSIS BONONIÆ HABITA. CUM IS PRIMUM LITERAS...

Roberto Titi

Digitized by Google

Digitized by Google

1034.41

Digitized by Google

TITII
159.

VIII

4to/74

Digitized 1034.4

ORATIO
ROBERTI TITII
BVRGENSIS.
BONONIAE HABITA.

Cum is primum literas humaniores in nobiliſsimo illo Gymnaſio interpretari incepiſſet.



1872

R. FLORENTINAE BIBLIOTH.

BONONIÆ.
Apud Hæredes Ioannis Roſsij. MDXCVII.
Superiorum permiſſu.

1034.41

ORATIO
ROBERTI TITII
BVRGENSIS.
BONONIAE HABITA.

Cum is primum literas humaniores in nobiliſsimo illo Gymnaſio interpretari incepiſſet.



BONONIAE.
Apud Haeredes Ioannis Roſſij. MDXCVII.
Superiorum permiſſu.

1034.41

ORATIO ROBERTI TITII BVRGENSIS.

NVNQVAM equidem exiſtimaſſem (Illuſtriſſimi, ac Prudentiſſimi Senatores, & Magiſtratus, Doctores celeberrimi, Nobiliſſimi, ac Studioſiſſimi Iuuenes, Voſq; omnes, qui audiendi cauſſa hùc conueniſtis) ac ne tenuiſſima quidem ſuſpicione aſſequi potuiſſem, vt ego nulla inſigni eruditione præditus, dicendi copia inſtructus perquam exigua, vſu ipſo non ſatis exercitatus, ingenio deniq; non admodum præſtans è tenebris quaſi quibuſdam in hanc ſplendidiſsimam lucem repentè euocarer: Quòd ſi ſubitę, vehementeſq; mutationes omni in re animos noſtros natura percellere conſueuerunt, certè hæc, de qua nunc maximè loquor, ingẽs omninò diſsidium intra memet ipſum iure, ac meritò parere debuit: nam ſiue clariſsimę huius Vrbis celebritatem, Gymnaſiiq; toto orbe terrarum nobiliſsimi frequentiam, ſiue eos, quorum opera, ac ſtudio totum hoc negocium confectum eſt, ſiue deniq; me ipſum reſpicio, vndiq; ſanè permultæ, perq; graues cauſſę mihi ſeſe offerunt, cur & lętari ſimul, & vehementer Mehercule timere debeam; etenim cùm meæ vitæ rationes iamdiù ita compoſuiſſem, vt in vrbe Florentia ſedes, lareſq; conſtituerẽ, ac Iuriſprudentiæ ſtudia illic inter cancellos, & ſubſellia exercerem, exiſtimabam fore, vt eo in munere obeundo reliquũ

vitæ meæ ſpatium placidè, ſedatèq; traducerem, inq; eo curriculo tranquillè conſeneſcerē, itaq; maiorem partem ætatis in eorum ſtudiorum cognitione libenter conſumpſi, quę meū inſtitutum in primis iuuare poſſent abiecta fermè omni alia cura earum literarū, quibus ab ineunte ætate non minimam operam dederam, quaſq; nihiloſecius exceptis, ac ſucciſiuis temporibus identidem repetere non deſtiti, adeò flagrabat animus ipſarum amore, ac deſiderio; quomodo enim ab ijs ſtudijs mentem, cogitationemq; penitus auocaſſem, quæ & ipſa per ſe humanitatem plurimùm excolunt, quæq; propterea ſummo in honore apud omnes gentes habita ſunt, & in quæ ipſe incredibili quadam animi propenſione ferebar? Sed tamen eas ipſas literas ita reguſtabam, vt forenſium laborum ſolatium inde mihi quærerem, non laudem, ac famā aliquam aucuparer; etenim probè noueram, atq; à doctiſsimis, ſapientiſsimiſq; viris literarum monumentis proditum eſſe memineram, nil admodum inſigne, ac pręclarum ab eo poſſe expectari, qui non totum ſe alicui diſciplinę penitus addixerit, adeò magnum opus eſt in aliqua liberali facultate non dico penitus eminere, ſed progreſsiones aliquas, vel mediocri laude dignas vtcunque facere: Quòd ſi quid ego vnquam poeticis numeris aſtrictum, vel ſoluta oratione elaboratum publicaui, id potius aliorum hortatu, quàm mea ſponte à me factum eſſe pleriq; norunt: nam quòd in Yuonem Villiomarū ſtilum diſtrinxi, & calami aculeum direxi, id verò dignitatis meæ tuendæ gratia neceſſariò mihi faciendum eſſe putaui, quotus .n. quiſq; non vehementer commoueatur, cùm ſe, patriam, vniuerſam denique nationem ſuam indigniſsimis modis deſpici videat? Ego ne tacitus ferrem tantam indignitatem? Ego ne Italos homines adeo contemptim accipi, ac verbis contumelioſiſsimis differri æquo animo audirem? Indignus profectò ſim, qui hoc cœlum ſpectem, qui hoc aere fruar, qui huic ſolo innitar, niſi ſi Italorum hominum decus mihi ſit antiquius, quàm

mea

Digitized by Google

mea dignitas, meorumque liberorum ſalus: Atque hæc cùm ita ſe habeant, ſubijt ſeriò cogitare, quis ego ſim, & quàm ex dignitate onus hoc, quod mihi impoſitum eſſe ſentio, ſuſtinere queam, præſertim cùm tacitus mecum reputo vrbis huius veſtræ dignitatem, gymnaſijque celebre, atque illuſtre nomen per vniuerſam Europam; neque .n. quiſquam ignorare poteſt, quæ ſint ingenia ciuium Bononienſium, quis eorum ardor, ac ſtudium ad bonas literas capeſſendas; hinc mihi ſanè ingens campus ſeſe patefacit, in quo curſu incitatiſsimo euagari poſsim, ſi, non dico veteres inſignes viros, qui omni tempore in omni literarum genere hac in vrbe floruerunt, ſed eos duntaxat, qui proximè ſuperiori ætate, quique adeò nunc maximè illuſtres habentur, commemorare velim. Neque verò intra hos laudis cancellos ijs ſeſe continere ſatis fuit, ſed per omne cunctarum liberalium artium genus longè, latèque peruagati ſunt: atque in re quidem militari eam de ſe famam, opinionemque apud exteros excitarunt, vt omnibus magnæ ſint admirationi: Iam de ſacris muneribus, ac dignitatibus, quibus plurimi veſtrûm enitent, non opus eſt quicquam commemorare, cùm res valdè ſit perſpicua, atque omnium oculis abunde expoſita. Duæ fuerunt olim in Græcia nobiles in primis, atque Illuſtres Ciuitates, Athenæ, & Sparta, ſed hæc rei bellicę fama potiſsimum enituit, illa pacis artibus magis ſeſe extulit: & quidem ita ſemper fermè vſu venire conſueuit, vt, qui aliqua in re maximè excellunt, in alia priorem locum vix obtineant: Sic veteres Romani belli gloriam Scipioni quidem concedebant, laudem, quæ ex literarum ſtudijs conſequitur, vni Lælio communi conſenſu tribuebant, illi alteri prorſus adimebant; nam quòd Cæſar, eum dico, qui perpetui Dictatoris munere in Rep. functus eſt, in vtroque ſtudio excelluiſſe fertur, vel eius, atque Auguſti, aliorumque Imperatorum gratię à blandientibus ſcriptoribus tributum eſt, vel in ipſum mo

Digitized by Google

dò omnes ſuos theſauros liberaliter Natura effudit, alijs non ita crebrò coſdem impartiri conſueuit; quamquam dicendi vi, & facultate cum Hortenſio, & Cicerone minimè fuit comparandus, rerum verò preſtantiſsimarum cognitione longè fuit Varrone inferior. Hęc vna tantùm vrbs veſtra vtraque laude commendari poteſt, in qua non vnus, atque alter hoc vel illo ſęculo nomen aliquod, & famam conſequutus fuit, ſed multi ſimul, atque omni euo numquam ſe ne interrupta eximias laudes, ac penè immortales collegerunt: quę cùm mecum reputo, & animo, cogitationeque ſedulò peruoluto, iure quidem optimo ingens mihi timor inijcitur, ac valdè vereor, ne honor, quo me inſigni afficere voluiſtis, vergat in probrum; nam quid ego vmquam potero ex hoc ſuggeſtu tàm præclarum, tamquam ſingulare proferre, quod veſtris auribus dignum videatur, quodque non dico æquare, ſed aliqua ſaltem ex parte reſpondere valeat eruditiſsimis ſermonibus, quos olim ex eodem loco ſuis auditoribus magno applauſu impartiri conſueuerunt Amaſeus, Corradus, Robortellus, Sigonius, Manutius, Corræa? Vtinam, Auditores, tantum ingenij, & facultatis mihi tribuat is, qui bona omnia largiri conſueuit, quantum ſatis ſit ad reprehenſionem modò vitandam. Quamquam, ſi ex animo mihi faueritis, ſi meos conatus veſtra humanitate proſequemini, fore non diffidio, vt ſuperatis difficultatibus, quæ in principijs quarumcunque rerum ſe obijcere ſolent, ita me in hoc munere geram, vt mihi laudem aliquam, vobis verò non minimam vtilitatem aliquando ſim allaturus; quid enim veſter fauor, quid mea incredibilis, ac verè dicam pertinax diligentia tempore procedente non efficiat? Equidem eo animo hùc acceſsi, quod vobis reſtatum eſſe volo, vt vel ſub hoc faſce ſpiritum, atque animam relinquam, vel aſsiduo meo labore, ac ſtudio illi opinioni penitus reſpondeam, quam Prudentiſsimus veſter Senatus de me habuit, cùm hanc mihi functio-

ctionem demandandam eſſe cenſuit, meque tanto honore dignatus eſt; accerrimis.n.ſtimulis agitari me ſentio ad hunc, quem nuper inſtitui curſum, ſtrenuè peragendum; quid verò de eo ſibi homines polliceri non poſsint, aut debeant, qui vitæ potius iacturam facere velit, quàm culpæ alicuius dedecus, & infamiam ſubire? Igitur ſi veſtro fauore, ac gratia aliquantùm per hæc initia ſuſtentabor, & vos operæ mihi præſtitæ, & me laborum meorum nequaquam pœnitebit; quæ me vna ſpes valdè recreat; timoremque omnem, ac moleſtiam penitus abſtergit. Eo etiam plurimum lętor, quòd videam percommodam occaſionem me eſſe adeptum multa diſcendi à tot præclaris, atque eruditiſsimis viris, qui in hoc celeberrimo gymnaſio publicè ſumma audientium admiratione, maximaque ſui nominis celebritate profitentur: eorum ego fama permotus malui exiſtmationis meæ periculum aliquod ſubire, quàm adeò promptam, atque opportunam occaſionem amittere. Nouimus ex veterum monumentis homines diſcendi cupidos longiſsima itinera, diuturnaſque peregrinationes ſuſcepiſſe, ac Pythagoram quidem, Platonem, Eudoxum ex Græcia in Aegyptum adnauigaſſe; Democritum verò Magos, & Chaldæos adire non dubitaſſe; Apollonius Thyaneus Brachmanas, & Gymnoſophiſtas conueniendos ſibi eſſe duxit, alij deniquè in alias, atque alias regiones profecti ſunt, vt cum ſapientiſsimis viris congrederentur, ipſorumque ſermonibus doctiores euaderent, ac (ſicut alicubi ſcriptum reliquit Plinius) non piguit illos exilia verius, quàm peregrinationes eruditionis cauſſa ſuſcipere; Ego non cuperem è tam propinquo loco ad hoc quaſi quoddam mercatum bonarum literarũ proficiſci, vt tot egregios viros coram intuerer, alloquerer, de ꝓximo admirarer, & ex eorũ locupletiſsimo penu aliquid in meum vſum transferrem? Memorant Gaditanum quempiam T. Liuij fama permotum ab extrema Hiſpania Romam vſque fuiſſe profectum, vt hominem, de quo

multa prędicari audiſſet, & quem iccircò plurimi faceret, de facie tantùm cognoſceret, quod cùm ei accidiſſet, ſtatim in patriam reuerſum, videlicet ne exiſtimari poſſet, ipſum tam longiquum iter ingreſſum fuiſſe, vt vrbem potius, quæ totius orbis caput eſſet, ac princeps, videret, quàm præſtantis illius viri aſpectu oculos oblectaretur. Mihi nunc ſummo Dei Opt. Max. beneficio, veſtraque incredibili erga me benignitate, Ciues Bononienſes, obtigit, vt non modò tot eruditione præſtantes viros intueri ſemel, & alloqui poſsim, verumetiam iucundiſsimo eorum aſpectu, ac familiaritate frui, atque ex ipſorum ore cunctarum liberalium diſciplinarum præcepta ſæpius, ac per ocium haurire, neque enim magis vt iuuentutem erudiam, quàm vt à doctiſsimis viris bonas artes ediſcam, ad vos acceſsi. Suadebat etiam iam inde ab ineunte ætate in hanc vrbẽ ſuſceptus amor, tùm videlicet, cùm vnà cùm nobiliſsimis adoleſcentibus in Academia, quæ ad Portum ſita eſt, primoribus litteris operam dabam, vt hoc coelum iterum aſpicere valde cuperem; In ea ego Academia aliquot annos enutritus, & ingenuo adoleſcente dignis artibus inſtitutus cepi paulatim hoc ſolum, tamquam patrium adamare, & intimo quodam animi ſenſu ciues omnes complecti, inter quos etiam multi reperirentur, qui arctiſsimo familiaritatis vinculo parenti meo coniuncti eſſent iam tum, cùm is in contubernio Hieronymi Melchioris Maceratẽſium Antiſtitis huius veſtrę vrbis tunc Præfecti degeret. Quare multas, inſigneſque cauſſas habeo, & vrbis diligendæ, & vos ſuſpiciendi, & mei muneris rectè obeundi, quod equidem, quantum in me erit, cumulatiſsimè præſtabo. Neque vero quemquam mouere debet, quod Iuris prudentię ſtudijs hactenus incubuerim, quodque nuſquam alibi interpretandi munus publicè exercuerim, vt propterea minus aptus cenſendus ſim ad prouinciam, quam ſuſcepi, exornandam; Nam ad primum quod attinet, mancus omninò eſſet, ac magna ſui parte diminu-

tus

tus humaniorum ſtudiorum orbis, quem παιδείαν, ſiue ὅλως παιδείαν, ſiue περὶ πᾶν παιδείαν Ariſtoteles appellat, ſi iuris ciuilis cognitione deſtitueretur; ſiquidem ea non magis neceſſaria eſſe creditur ad cultum animi, quàm ad veteres ritus, quorum in Pandectis multa impreſſa veſtigia ſpectantur, cognoſcendos: addo etiam non minimum eam conferre ad ſermonis proprietatem, & elegantiam, quę nobis pręcipuè hoc tempore propoſita eſſe debet; ac poſſem equidem, ſi liberet, nullo negocio plures viros eruditiſſimos enumerare, qui in humanioribus litteris vtique excelluerunt non ſine Iuris ciuilis exquiſita admodum cognitione; &, vt Celſum, ac Suetonium interim prætermittam, ex noſtris hominibus clari in primis, atque illuſtres habentur Sauromanus, Longolius, Muretus, Lambinus, Torrentius, Riccobonus; hi, atque alij non ſanè pauci, quos conſultò miſſos facio, ita humanioribus ſtudijs operam nauarunt, vt de iuris ciuilis ſcientia non minorem curam ſemper geſſerint: ac Muretum quidem, cùm Romæ politiores litteras de ſuperiore loco publicè interpretandi munus ſuſtineret, complura Pandectarum capita ſuis auditoribus explicaſſe nouimus, quin & eius generis ipſius ſcriptiones aliquot circumferuntur: ſic etiam iuris prudentiæ ſtudia eam communionem habent cum his noſtris amœnioribus, vt vix diduci poſſe videantur, quod abundè ſciri poteſt ex Tiraquello, Budęo, Alciato, Natta, Couaruuia, Auguſtino. Sed duo veſtri Ampliſſimi Cardinales id ita eſſe ſuo exemplo in primis docuerunt, Gabriel Paleottus, & Albertus Bolognettus, quorum ſcripta omni litterarum genere ſunt referta, & de quorum ego laudibus conſultò dicere ſuper ſedeo, quoniam ę tot, tantæque ſunt, vt verendum ſit, ne hic me dies prorſus deficiat, ſi eas ſigillatim recenſere velim, præterquam quod notiores omninò ſunt, quàm vt mea prædicatione opus habeant. Igitur non modò quicquam impedimenti ea ſtudia nobis afferre nequeunt, imò verò, ſi quid

iudi-

iudico, plurimùm ſanè vtilitatis præſtabunt; nam, quod caput eſt totius huiuſce negocij, ſemper ita illis ſtudijs operam dedi, vt non minorem curam de literis humanioribus geſſerim; quin pluribus viſum eſt, maiori ſtudio me his alteris inuigilaſſe, quàm illis ipſis, vnde emolumentum mihi erat expectandum: Iam quòd nunc primùm in publicum prodeo, bonoſque auctores ex hoc loco interpretandi munus aggredior, ſic habetote, Auditores. Viſum, atque exercitationem in ſordidis quidem artibus, quæque manibus perficiuntur, plurimùm pollere apud omnes in confeſſo eſt; at in liberalioribus diſciplinis ingenij vires præſtare non leuibus Mehercule documentis euinci poteſt. Ac valde vereor, ne iſthæc fiducia ſui negligentiam quandoque pariat; hoc enim ſæpenumero vſu venire nemo ignorat, & quidem facile ſibi indulgent, laborique non grauatè ſe ſubtrahunt, qui longo vſu auctoritatem in re aliqua conſequutos ſe eſſe putant, nam inde oritur quædam quaſi ſupinitas, aut ſaltem (ſi rem verbo quærimus honeſtare) ſecuritas, & deſpicientia eorum, quæ in ſcholis tractari debent; ſed nolo de hac re curioſius diſceptare; illud verè affirmauerim, & me non omninò rudem eſſe huius exercitationis, & complures in hunc ſuggeſtum aſcendiſſe, de quorum doctrina, & eloquentia numquam aliàs periculum factum fuerit, deniq; vnius, atque alterius menſis exercitatio facile hoc, quicquid tandem eſt incommodi, remouebit, interim meam apud vos exiſtimationem tueantur libri) quos hactenus edidi, & reliqua ingenij mei monumenta, quæ manibus eruditorum non ſine aliqua eorum approbatione, ac mea non exigua cum laude circunferri audio, etſi longè plura, ac præſtantiora ſepoſita habeo, vnde famam & nomen adeptum me eſſe facile confido. Nunc quòd meum ſit inſtitutum in hoc munere fungendo, nihil neceſſe eſt pluribus explicare, & multò ſanè aptius, ni fallor, à nobis exponetur ijs ſermonibus, quos deinceps ad eos habituri ſumus,

qui

Digitized by Google

qui noſtris ſcholis intereſſe volent. Illud poſtremò non prætererim, me & publicè, & priuatim ſummopere elaboraturum, vt, quàm fieri poſſit, maximus fructus ex mea eruditione, ſi qua ea eſt, certè ex diligentia, quam ſummam omninnò polliceor, ac re vera præſtabo, à cunctis percipiatur; qua ſanè ratione gratias interim Illuſtriſsimis Quinqueuiris, ac Sapientiſsimo veſtro Senatui pro tanto in me collato beneficio publicè actas volo; nam ipſorum meritum erga me oratione proſequi, vt ſanè deceret, atque ego quidem valdè cuperem, infinitus propemodum eſſet labor; ſed quantò paucioribus verbis nunc hanc partem attingo, tantò re ipſa eandem quotidiè exornare conabor, quod & ipſi maximè velint, & vobis, Auditores, longè erit fructuoſius.

CARMEN EIVSDEM IN BONONIAM.

IAm mihi ſe procul oſtentant pulcherrima viſu
Moenia; iam turres, & templa, & tecta domorum
Rareſcunt magis atq; magis; iam limina tandem
Ingredior lætus multum dilecta Mineruæ
Et Phoebo; æratis iam poſtibus oſcula figo.
Salue Vrbs antiqua virtute inſignis, & alta.
Nobilitate nitens, opibuſque, armiſque ſuperba;
Salue orbis decus eximium, mea Felſina, ſalue
Vrbs cunctis oppleta bonis; tu ſæpe petita
Es mihi ſollicitis votis, & ſupplice lingua;
Tantus amor laudis, ſtudiorum tanta cupido:
Non ego ſeceſſus Parnaſi, non iuga Pindi
Quæſierim poſthac, vt fronti aptare coronam,
Et dulces poſſim Muſarum haurire liquores:
Tu mihi Daphnæos ramos, Vrbs inclita, nectis,
Quos capiti imponam exultans; tu fonte perenni
Percupido Aoniam largè mihi ſufficis vndam;
Ergo ipſe in primis ciues; sanctumq; Senatum
Iure colam, noſtris tribuerunt qui ocia Muſis,

Vtque

Vtque frui poſſem menſuræ, & fine carente
Fama effecerunt; dein te ſtudioſa Iuuentus
Numquã non meritis celebrabo laudibus, acrem
Quæ mihi quottidie curam ſubmittis, amoremq;
Afflas linquendi terras, atque alta petendi
Sydera, quò mea mens ſemper contendere ſueuit;
Quamuis me dura iãdudum compede vinctum
In tenebris vidit Phoebus, Muſæq; iacentem
Fleuere è ſummo Parnaſi vertice alumnum;
His ego tum factis agitatus iura frementis
Litigioſa fori, ſtudium ſine laude, procaxque,
Exercebam animo planè aduerſante, nec vllus
Aut mihi opẽ dabat, aut vmq̃ eſt miſerat⁹ amicũ;
Sed nunc diſiectis tandem hinc, atq; inde cathenis
Me iuuat aſſiduè riguos ſecedere in hortos
Pieridum, & Sophiæ, ac varios decerpere flores
Vobiſcum, Iuuenes, & fronde innectere ſertum,
Plurima quæ molli tellurem protegit vmbra;
Nã mihi quas tandẽ valeat ſuperaddere laudes
Verboſumq; forum, plenũ & clamore tribunal?
Ergo age, pulchra cohors, certatim enitere mecũ,
Nec te iam pigeat vigili inſudare labori,
Atq; iter arripere abruptum, veruntamen omni
Cura inſiſtendum, donec tibi vita ſuperſit,

Quò

Quò te tollere humo valeas, & ſydera adire,
Vnde genus ducis; quis hùc contendere greſſum
Abnuat, ò Iuuenes, ac præmia tanta recuſet?
Ipſe adero, & feſſos prægrandi faſce leuabo,
Subijciamq; manum: ſed ritè vocatus Apollo
Sufficiet vires, voſq; in Permeſſide ripa
Incolumes ſiſtet tandem, facietq; beatos.

8



BONONIÆ.
Apud Hæredes Ioannis Roſsij. MDXCVII.
Superiorum permiſſu.

99 956657

1034-41

Digitized by Google
1036.41

Digitized by Google

Digitized by Google